

sic possent quodcumque præmium mereri, ex supernaturalitate, et ordine ad finem supernaturalem eminenti, non formali. Nos autem non loquimur de tali merito tantæ eminentiæ. Indigeret tamen illud meritum, et actio Christi, non ad sui personalem valorem, sed ad applicationem, et determinationem pro isto fine, seu objecto determinato promerendo, aliqua cognitione applicativa ad finem supernaturalem, si talem promereri voluisset.

ARTICULUS VII.

Quomodo peccatum mortale, et veniale habeant finem ultimum in creatura?

Ex difficultate supra posita, et resoluta, quod in omni opere, et in omni operante datur ultimus finis, isque tantum possit esse unus, resultant difficultates aliquæ, præsertim circa peccantem mortaliter, et venialiter, quæ discussione peculiari indigent, supposito quod in omni opere debet inveniri dependentia, et influxus finis ultimi illud, ut articulo præcedenti ostensum est.

PECCANS MORTALITER, ETIAM DIVERSIS PECCATIS, UNUM ULTIMUM FINEM CONSTITUIT IN CREATURA.

I. Prima difficultas est de peccante mortaliter, qui omnino avertitur a Deo fine ultimo, tam ex parte operis, quam ex parte operantis. Potest autem peccator diversa peccata mortalia committere, etiam disparate se habentia, sicut luxuriam, superbiam, infidelitatem, etc. et in unoquoque ponere videtur ultimum finem, quia per quodlibet eorum, avertitur a Deo. Et sic videtur plures fines ultimos habere disparatos,

aut saltem non posse illos plures fines, in aliquo uno fine uniri. Nam licet omnia illa velit peccator sibi ipsi, et sic se ipsum constituere videtur finem ultimum, tamen ipse peccator non est sibi ipsi finis cujus gratia, nec bonum satiativum sui, sed solum finis cui. Nos autem præsentem non solum ponimus dari unum finem cui, sed unum finem ultimum cujus gratia, et de hoc inquirimus, quis sit in peccante mortaliter multa peccata?

II. Ex alia parte videtur non repugnare, quod maneat peccator cum ordine ad finem ultimum creatum, et increatum, saltem virtualiter. Nam contingit, quod aliquis victus tentatione luxuriæ, succumbat, et fornicetur, et tamen sit paratus mori pro fide, qui tamen pro delectatione illa prava, vitam non exponeret; ergo plus amat Deum, quam meretricem. Et similis casus est, si quis paratus sit committere peccatum luxuriæ, si tamen necesse sit expendere centum, nolit fornicari; illa tamen centum expendere pro sublevando paupere, vel pro adjuvanda fide. Iste peccat mortaliter, volens peccatum luxuriæ; et tamen non vult luxuriam ut finem ultimum, quia non vult meretricem plusquam illa centum, nec illa centum plusquam Deum, sed Deum anteponit illis centum, imo et vitæ, quia illam daret pro fide divina: ergo non ponit ille peccans, finem ultimum in creatura. Alia exempla postea adducemus.

III. Dicendum nihilominus est, rem esse omnino certissimam, quod mortaliter peccans, ponit finem ultimum in creatura, loquendo in omni proprietate, et rigore, et non solum intelligendo hoc negative, hoc est, quod non ponit peccator finem ultimum in Deo; sed etiam positive, quia in creaturam tendit, tamquam in finem ultimum suæ vo-

luntatis, et desiderii. Conveniunt communiter in hac conclusione theologi cum D. Thoma infra quæst. LXXXVIII, art. 1 ad quartum, ubi aperte inquit: « Quod bonum commutabile non accipitur ut terminus contrapositus incommutabili bono, nisi quando constituitur in finem. » Et idem exprimit quæst. LXXXIX, art. 1 ad tertium, et, 2-2, quæst. XXIV, art. x ad secundum. Et Hadrianus, qui oppositum tenuisse dicitur in quodlibeto VII, art. III, censura temeritatis ab aliquibus notatur. Et revera vix possunt verba Scripturæ accommodari, si negetur finem in creatura constitui, non solum negative, hoc est, quia non tenditur in Deum, seu relinquitur Deus; id enim apertissime exprimitur in Scriptura: sed etiam quia positive tenditur in creaturam, ut in finem. Dicitur enim Hieremiæ II: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quod utique fit per hoc quod peccator satiari vult in creatura, quasi sitim et ardorem extinguens in aqua fœtida cisternæ, relicto clarissimo fonte aquæ vivæ. Ad Philippenses III dicitur de quibusdam: *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Ecce venter, qui est aliquid creatum, habetur ab istis pro Deo, id est, pro fine ultimo, nam speculative, et entitative, certum est non habere illum pro Deo. Et similiter habere illum pro gloria, aperte designat ultimum finem, quia est id quod præcipue diligitur tamquam terminus; ad gloriam enim tendimus ut ad finem. Denique Joannis XII dicitur de quibusdam: *Quod dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei:* et Matth. X dicitur: *Quia amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ergo ponitur in

creaturis amor aliquis excedens, et major amore Dei. Amor autem Dei, quando recte habetur, est finis; ergo quando plus amatur creatura quam Deus, nec subordinate ad Deum diligitur, utique tamquam finis diligitur, non tamquam medium. Et sic positive habetur ut finis ipsa creatura, quia positive diligitur, plusquam Deus.

IV. Et traditur hæc doctrina generaliter ab Augustino, dum totam perversitatem humanæ vitæ collocat in hoc quod fruatur utendis, vel utatur fruendis, ut patet in libro LXXXIII quæstionum, q. XXX, et X de Trinitate, c. X. Frui autem ex Augustino lib. X de civitate, c. X, et libro I de doctrina christiana cap. IV et V, non est aliud, quam alicui tamquam ultimo fini adhærere. Quia ergo fruitor utendis, habet ipsa utenda, tamquam ultimum finem, utenda autem, sunt creaturæ. Nec satisfacit solutio Hadriani. Augustinus loquitur de fruitione late, non proprie sumpta. Nam ista fruitio impropria, vel respicit creaturas ut finem ultimum, vel ut subordinatas fini ultimo extra creaturas, qui est Deus. Si primum, habemus intentum. Si secundum, nulla est perversitas, quod fruamur creatura ut subordinata Deo, juxta illud Apostoli ad Philemonem: *Ita frater ego te fruar in Domino,* ut frui ipso dixerit, non tamquam termino, sed tamquam medio, ut ex Augustino lib. I de doctrina christiana, cap. XXXIII, explicat D. Thomas infra q. XI, art. III ad primum. Ac denique idem Augustinus libro de libero arbitrio, c. XXIV: « Unde, inquit, hæc aversio? Nisi dum ille cui bonus est Deus, sibi ipsi vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus. » Hoc autem est apertissime in bono creato, scilicet, in se finem constituere, et se ipsum pro regula agendorum, habere.

V. Fundamentum autem ex dictis

sumitur, quia homo dum peccat, aliquid amat, in cuius amore peccat; unde dicitur Oseæ IX: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Sed id quod perverse amat peccator, non amat ut medium, aut ut finem subordinatum Deo; ergo ut finem ultimum. Consequentia patet, quia quidquid amatur, aut amatur ut finis, aut ut medium. Si ut medium, est subordinatum alicui fini, et ille finis, est Deus, non est perversitas, quia habetur pro fine, et creatura pro medio. Si ut finis, vel ut subordinatus alteri, vel non. Si non subordinatur, est finis ultimus: si subordinatur, vel fini, qui est Deus, et sic non est peccatum; vel fini, qui est creatura; et sic in creatura, tamquam in ultimo fine, sistitur. Minor vero probatur, quia in peccato mortali Deus deseritur, et contemnitur, ut patet Isai. I: *Ipsi autem spreverunt me*, et iterum ibidem: *Væ genti peccatrici, populo gravi, dereliquerunt Dominum*: Isai. xxx: *Væ filii desertores, etc.* Hierem. II: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*: I. Reg. II: *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Ergo peccator amat creaturam, contempto et deserto Deo; non ergo subordinando eam illi: ergo sistendo in creatura; et sic habet eam pro fine ultimo positivo: nec enim est aliud habere aliquid pro fine positivo ultimo, quam illud amare positive sine subordinatione ad ulteriorem finem, et alia omnia subordinando illi. Qui autem amat unum bonum deserto alio, seu contemnendo et avertendo se ab alio, non amat illud cum subordinatione ad istud, nam potius istud non amat, sed relinquit, et despicit; ergo amat aliud ultimum, seu tamquam id in quo sistit in amando, quia alteri amori non subordinat, nec ex alio priori amore movetur, sed ex isto ad cætera: quod est non solum negative esse

ultimum, sed etiam positive, referendo omnia in illum, ut statim dicemus.

VI. Sed difficultas non levis est in assignanda creatura, ad quam tamquam ad finem, mortaliter peccans convertitur: ita quod tantum sit unus finis ultimus positivus. Et loquimur de fine ultimo simpliciter, tam qui sit finis operis, quam operantis. Loquimur etiam de fine ultimo cuius gratia, non de fine ultimo cui tantum. Hunc enim unum esse in peccante mortaliter, nulli dubium est cum sibi appetat peccator id quod male appetit, non in gloriam, et amorem Dei; vel si appetit alteri, quem existimat Deum, ut idolo, etiam ex parte illius unitatem finis cui habet. Quod si plures reputat esse deos, ut fines ultimos, semper eligit unum ex illis, ad quem dum hic et nunc operatur in singulari, omnia sua dirigat, ut supra diximus. Quidquid vero sit de hoc, tamen in præsentia non agimus de fine cui in peccante mortaliter, sed de fine cuius gratia, et hunc inquirimus, quis sit, et quomodo unus sit, cum tam multa a peccatore appeti, et committi peccata videamus inter se diversa, nec solum successive (ut quidam putaverunt) sed etiam simul: potest enim aliquis simul ambitionem, seu vanam gloriam appetere, et luxuriam, infidelitatem, et indebitum honorem, etc.

VII. Ad hoc varie respondent auctores. Quidam citati a Cumel 1-2, q. LXI, art. VI, disp. XI, in solutione difficultatum, et ex ipso relati ab Ægidio a Præsentatione lib. II de ultimo fine, q. V, art. III, §. II, tenent peccatorem non constituere finem ultimum in creatura formaliter, et positive: sed solum virtualiter, seu negative, quatenus id quod appetit ut finem, non ordinat in Deum. Accedit ad hunc modum dicendi Azor lib. I institutionum moralium,

c. I, q. V et VII, qui distinguit ultimum finem per affirmationem, et per negationem. Per affirmationem, in quem omnia referimus, ut Deum: per negationem quam alteri non subordinamus, licet non in illum omnia referamus. Hoc secundo modo putat peccatorem constituere finem ultimum in creatura non primo. Quam doctrinam in substantia, tenet Vazquez hic disp. V, c. I et III, licet diversis nominibus illum significet. Nam distinguit finem ultimum, quod alius est finis ultimus operis, et operantis; alius operis tantum: et hic est duplex: alius qui non potest referri in ultimum finem verum, licet actu non referatur alius qui non potest in illum referri, sed ei opponitur. Quando est finis ultimus primo modo, id est, tam operantis quam operis, est sicut finis, quem Azor vocat per affirmationem, id est, in quem non solum illud opus, sed omnia, quæ operantis sunt, referuntur. Quando est finis ultimus ex parte operis tantum, dicitur esse ultimus quasi negative, quia non refertur in finem ultimum verum, sed illi opponitur, non autem quia se et omnia sua referat in illum finem ultimum. Et hoc modo dicitur peccator habere ultimum finem in creatura. Omnes istæ sententiæ non reputant habere peccatorem plures ultimos fines, quia non sunt ultimi simpliciter, id est, affirmative et ex parte operantis, id est, cui omnia quæ operantis sunt subordinentur, sed solum ex parte operis, seu negative, quia alteri non subordinantur.

VIII. Ex his autem, qui censent peccatorem constituere in creatura finem ultimum simpliciter, et positive, ita quod illum omnia referantur, est duplex sententia principalis; altera attributa Cajetano in hac prima quæstione, articulo

quinto, et infra quæstione LXXXVII, articulo IV, §. Ad hoc dicitur; altera attribuitur Conrado hic articulo quinto. Dicit Cajetanus finem ultimum peccatoris esse ipsummet peccatorem, et ex hac parte semper salvatur unitas finis ultimi: « Amor enim sui ad contemptum Dei ædificat Babylonem. » Bona autem, quæ appetit peccator, ut delicias, luxuriam, vanam gloriam, etc. non appetit ut fines ultimos, sed ut proximos, se ipsum ut ultimum. Dicit Conradus, finem ultimum adæquatum, in quem convertitur peccator esse aggregatum omnium eorum, in quibus satiat appetitum suum, quodlibet autem bonum determinatum, verbi gratia, pecuniam, aut delicias esse fines ultimos inadæquatos, seu partiales. Hos autem non repugnat plures esse, dummodo in aliquo uno adæquate aduentur, qui simpliciter finis ultimus sit. Cajetani sententiam, sequuntur plures ex Thomistis, Cumel relatus, Gregorius Martinez super hanc quæstionem, articulo V, dub. II, et alii. In Conradum inclinatur Curiel hic articulo V, dubio unico, §. V: Ægidius a Præsentatione ubi supr. in secunda parte articulo III, qui et Cajetanum in eundem sensum trahere conantur.

IX. Dico secundo: Peccans mortaliter habet finem ultimum in creatura, non solum negative, sed etiam positive, in quem omnia refert, et hic finis est bonum proprium, seu convenientia propria, quatenus appetibilis juxta modum propriæ voluntatis, non juxta determinationem legis divinæ, quod pertinet ad quamdam excellentiam, seu perfectionem hominis in bene se habendo. Hæc conclusio sumitur ex auctoribus pro ista duplici sententia relatis, ita quod ipsemet peccator, non solum sit finis cui, sed etiam pertineat in connotato ad finem cu-

jus gratia. Si enim consideretur peccator per se, et directe, ut persona volita est finis cui, sibi enim ut personæ fruendi appetit objectum, seu rem in qua peccat, non se ipsum appetit ut rem fruendam. Si vero consideretur ipse peccator, ut principium, et mensura juxta quam mensuratur, et determinatur quidquid appetendum est, scilicet ut solum appetat, quod sibi conveniens, aut commodum est, et in suam perfectionem, aut excellentiam conducit, non attendendo ad aliam regulam, a qua restringatur, et coarctetur ejus appetitus, quæ est lex divina, sic ipse peccator in connotato, et in obliquo consideratus, pertinet etiam ad finem cujus gratia, quatenus est principium determinans et mensurans appetibilitatem boni, et commodi, ut convenientem sibi.

X. Hanc esse mentem Cajetani puto, imo et expressam D. Thomæ. Etenim Cajetanus in hoc articulo quinto, primo quidem dicit, quod omnes fines proximi peccatorum mortalium uniuntur in uno ultimo fine, qui est ipsemet peccator. Deinde vero explicans, quomodo ista bona commutabilia uniantur in uno fine communi, dicit, quod omnia commutabilia bona, ad quæ peccator convertitur, referuntur ad unum communem finem, qui est simpliciter ultimus sibi, scilicet ipsummet; quoniam omnia appetit, ut conferentia ad bonum proprium; ita quod hujusmodi bona non appetuntur ut fines ultimi simpliciter, sed ut fines ultimi partiales, ut scilicet partes boni proprii, quod est simpliciter finis ultimus illius, et intentum in omni peccato mortali. Ecce quomodo Cajetanus ponit pro fine ultimo, non solum ipsam personam, quæ est finis cui, et radicale bonum, quod quis amat scilicet seipsum; sed etiam ponit

pro fine ipsum bonum proprium, quod se habet ut finis cujus gratia, et illa bona commutabilia appetuntur, partes istius boni proprii. Non sunt autem partes istius personæ, cui appetuntur, sed partes ipsius perfectionis, et boni quod appetitur, ut intentum, et ut consequendum.

XI. D. Thomas eodem modo sumit radicaliter, seu originaliter unitatem finis ultimi in peccato mortali, ex unitate personæ peccantis, qui se nimis amat. Formaliter autem, et immediate, etiam ex parte objecti, et perfectionis, quam appetit peccator, sumit rationem finis ultimi. Nam in II, dist. XLII, q. II, a. I, inquit: « Quod finis ultimus in amore commutabilium bonorum, est ipse homo, propter quem omnia alia quærit; et ideo si radix peccati accipiatur ex parte ipsius peccantis erit una: si autem sumatur ex parte eorum, quæ propter se ipsum peccans quærit, erunt plures. » Esse autem necessarium quod homo etiam peccans, et extra charitatem positus, in aliquo uno constituat finem ultimum, expresse affirmat in quæstione VII de malo, articulo I ad vigesimum, ubi inquit: « Quod bene contingit in aliquo, qui est extra charitatem, quod aliquam creaturam diligat plusquam Deum, et aliquam æqualiter Deo, et aliquam etiam minus Deo: sed non contingit, quod aliquis diligat creaturam æqualiter Deo, ita quod nullam diligat plusquam Deum; quia necesse est, quod homo in aliquo uno constituat ultimum finem suæ voluntatis. » Qui locus plane monstrat, non posse secundum sententiam D. Thomæ constitui in peccatore plures fines ultimos negative, et non ponere unum positive, cum dicat D. Thomas necesse esse, quod homo in aliquo uno constituat ultimum finem, non ultimum nega-

tive, quia isti possunt esse plures, ut auctores oppositi fatentur; ergo debet esse unus positive.

XII. Quod vero iste finis ultimus in peccatore sit ipsemet homo, non pure personaliter sumptus, ut est subjectum, cui appetit, seu concupiscit rem prohibitam; sed ipse homo, ut consideratus sub aliqua excellentia, aut delectabilitate, aut alia quavis perfectione, et ita se ipsum sic perfectum, et actuatum, appetat ut finem in omnibus bonis commutabilibus, quæ appetit, clare deducitur ex D. Thomæ, 1-2, quæst. LXXXIV, art. II, ubi inquit: « Quod finis in omnibus bonis temporalibus acquirendis est, ut homo per illa, quamdam perfectionem singularem, et excellentiam habeat, et ideo ex hac parte superbia, quæ est appetitus excellentiæ, ponitur initium omnis peccati. » Et 2-2, quæst. CLXII, articulo II, inquit: « Quod per se alia peccata ordinantur in finem superbiæ, quæ est propria excellentia, ad quam potest ordinari omne id, quod quis inordinate appetit. » Ergo explicavit his locis D. Thomas quis sit finis ultimus, seu repertus in omnibus particularibus bonis, seu finibus, qui appetuntur inordinate, scilicet hominem habere quamdam excellentiam aut perfectionem singularem, id enim pertinet ad formalitatem, seu conditionem quamdam beatitudinis, quæ proprie est ratio finis ultimi. Et hanc habet sine subiectione ad regulam, et legem Dei, quæ coarctat, et limitat quid, et quomodo appetendum sit, et suam propriam convenientiam, et voluntatem habet pro regula, quam laxat ad omnia pro libito. Et sic homo tamquam persona, et subjectum cui appetuntur illa bona, est finis cui, ut autem perfectus, et excellens aliqua speciali perfectione, in qua se reputat quietari, est finis ultimus cujus gratia, ratione

talis perfectionis acquirendæ, quæ tamen perfectio adæquata, ex pluribus partialibus bonis potest integrari, et componi. Unde tandem ipse D. Thomas 2-2, quæst. XXV, art. VII, dicit: « Quod mali amant se ipsos secundum corruptionem exterioris hominis, sic autem boni non amant se ipsos. » Ergo intelligendum est, quod amor sui, qui est initium peccati, et est amor finis ultimi, non solum est amor sui ut finis cui tamquam persona, cui vult bonum, sed est amor sui ut finis cujus gratia, in quantum consideratur ut conjunctus, et perfectus secundum exteriora bona, quæ sunt corruptibilia, in quibus ratio illa perfectionis singularis, et excellentiæ, in qua illa omnia bona adunantur, ut pertinentia ad propriam convenientiam, et commodum appetentis, quod ex multis integratur, constituit unam rationem finis ultimi.

XIII. Fundamentum conclusionis positæ per partes tradendum est. Primo, quod finis ultimus in peccatore, non tantum sit negative ultimus, sed etiam positive, cujus gratia cætera appetantur. Hoc manifeste patet, quia in actibus peccaminosis invenitur vere, et propria causalitas et influxus finalis, sicut in aliis operationibus, et causis: ergo etiam subordinatio unius finis ad alium, et influxus, magis vel minus universalis secundum quem ad plura, vel pauciora se extendit: ergo cum non sit processus in infinitum in istis causalitatibus, et influxibus, oportet, quod non sistat iste processus causarum finalium, nisi in illo fine ultimo, qui omnia complectatur, et cujus gratia cætera fiant. Patet consequentia, quia si in aliquo sistitur, qui non omnia complectatur, et cujus gratia cætera fiant; ergo ille non influit, nisi ut finis particularis, quia solum est

finis istius operis, et in illud tantum influit, non in alia: particularitas autem, vel universalitas causæ, sumitur penes extensionem majorem vel minorem in ea, in quæ fit influxus; non ex negatione subordinationis ad alia: ergo si ille finis dicitur negative ultimus, quia non subordinatur alteri, ejus tamen influxus solum se extendit ad unum opus particulare; sequitur quod sit particularis in ratione causæ finalis licet ultimus appelletur, in ratione non subordinationis. Nulla autem est causa particularis, quæ non subordinetur alicui universali, quia particularis causa prout talis, est inferior et imperfecta, utpote sic limitata, et restricta in suo influxu: ergo supponit aliquam superiorem, et perfectiorem, cui subordinetur; omnis enim causa inferior, et imperfecta, dependens est a superiore, eique subordinata. Repugnat ergo ponere aliquem finem esse ultimum alicui appetenti, solum negative, id est, quia non subordinatur alteri, et tamen quod non sint omnia ejus gratia, sed solum sit finis particularis, et proximus alicujus operis, non ipsius operantis; sed si est particularis debet ulterius subordinari alicui perfectiori, et universaliori, sub quo particularis sit.

XIV. Dices: Voluntas pro suo arbitrio sistit in illo fine, nec vult ulterius progredi, et sic erit ultimus, non secundum rem, sed ex intentione volentis; nec tamen sibi subordinat omnia alia, quia voluntas non vult, licet pro ultimo fine illum habeat, quia ibi vult sistere, nec ad Deum ordinare. Sed contra, quia voluntas non potest mutare naturam suam et modum influendi ipsorum finium; ut scilicet finis particularis influat, et alliciat ex præsuppositione alicujus finis superioris et universalis, cujus gratia om-

nia fiant, aut si voluntas velit sistere in illo fine particulari illius operis solum pro illo opere, et in alio fine pro alio, non obstante quod sint fines particulares, et ex natura sua non ultimi, nec perfecte satiativi appetitus; ergo oportet, quod vel appetitus non velit perfecte, et adæquate satiari ex omni parte, (quod est non velle beate se habere, neque apparenter, neque vere, quod est impossibile, cum ad hoc sit determinatus ex natura rei appetitus, omnes enim naturaliter appetunt beatitudinem, et consequenter volunt illam consequi in aliqua re, aut rebus) vel oportet quod ex omnibus illis operibus, in quibus ultimo vult sistere voluntas, integret, et componat unum perfectum, et adæquatum satiativum; illi vero fines ultimi sint partiales fines, et sic erunt plures partiales, et unus totalis, et ille totalis erit finis positivus, cujus gratia cætera fiunt: vel denique sistit in quolibet illo fine quia vult, id est, ad experendam suam libertatem; et tunc experiri libertatem erit finis positive ultimus, et in illum cætera referentur; aut si quem alium finem sibi voluerit proponere voluntas pro ultimo simpliciter, in illum referentur cætera. Dicere autem quod potest voluntas pro libito suo ita sistere in aliquo fine particulari, quod nullum finem ultimum simpliciter velit habere, cui cætera subordinentur, nec finem operantis, sed solum finem operis, est dicere quod pro suo libito possit moveri a causa particulari, et inferiori, sine subordinatione ad superiorem, et perfectiorem, et suam rationem formalem relinquere, quæ est bonum perfectum, et beatitudinem velle, seu satiativum appetitus; si quidem vult finem particularem, et bonum imperfectum finis ordine ad perfectum, et ad beatitudinem in communi, ut

quærendam in aliquo bono particulari, cum etiam miserrimi homines, et damnati velint non esse, ut effugiant miseriam; et esse sine miseria est conditio quædam beatitudinis. Causa autem, seu finis particularis, non est perfecte satiativus voluntatis, quia hæc universalis boni capax est, et a nullo particulari satiatur. Implicat ergo quod in fine particulari, ut particulari, velit sistere voluntas, ut in pleno satiativo. Ad hoc etiam conducunt omnes rationes supra factæ, ad probandum dari in omnibus actibus ultimum finem simpliciter.

XV. Secundo probatur hoc bonum creatum, in quo peccans constituit ultimum finem, esse convenientiam propriam, seu bonum proprium, ut taxatum, et determinatum juxta proprium arbitrium, non juxta legem divinam: quo nomine convenientiæ propriæ, includimus, quidquid pertinet ad utile, vel delectabile non subjectum, et subordinatum honesto, nec regulis rationis. Et ratio est, quia in omni peccato est conversio ad aliquod bonum commutabile, quod aliquis inordinate sibi amat, ratione cujus amor sui dicitur esse principium omnis peccati, ut tradit D. Thomas infra quæstione LXXVII, articulo IV. Nullus autem amat sibi commutabile bonum, nisi quia in eo invenit convenientiam aliquam, seu commodum, aut apprehendit, seu imaginatur ibi inveniri. Nam vel sentit illud commutabile bonum sibi deservire, et esse convenientem, aut sentit se debere deservire illi bono, illud quecolere, sicut idololatræ colebant idola pro diis. Si primum; ergo appetitur illud bonum ratione convenientiæ propriæ, et in quantum commodum sibi. Si secundum; ipsum servire habetur ut convenientem, et commodum; sicut etiam inter amicos, ipsamet amicitia ad

alterum est convenientem, et nascitur ex amicabilibus ad se. Et Angeli peccantes voluerunt subjici diabolo pro convenientia suæ ambitionis. Et quod creatura ita inordinate, et erronee sit volita, quod illi attribuitur honor divinus, hoc multo magis procedit ex convenientia propria sibi inordinate volita, quia in tantum vult aliquis complacere in aliqua creatura, aut honorare; quod etiam Dei honorem illi attribuat, quia scilicet illum honorem tribuere, sibi commodum est; aut quia inde sperat aliquid; aut quia timet perdere si non faciat; sicut plerique sequuntur hæresim, aut adorant dæmonem, ut aliquid inde lucrentur, aut quia timent sibi aliquid mali fieri. Et adorant idola, aut ut placeant principibus: aut quia laxiori vita sic vivunt: aut quia nolunt verum Deum agnoscere, et colere, quia laboriosum sibi est. Hoc autem totum nascitur ex inordinato amore accommodationis, seu convenientiæ propriæ, id est, sine subordinatione ad regulam divinam, sed ex proprio arbitrio. Et licet relinquere regulam rationis, et legem Dei videatur pertinere ad aversionem in peccato, non ad conversionem; tamen evitatio laboris et molestiæ, quæ ex constrictione legis, et regulæ provenit, etiam ad conversionem pertinet, et se habet ut conditio, et requisitum quoddam, ut aliquid magis amabile reddatur, scilicet quod minus constrictum, et obligatum sit legi: licet id, quod ex lege resultat de bonitate, et honestate, non per se, et directe sit odio habitum a peccatore, sed per accidens, quatenus non compatitur cum objecto prohibito, quod vult. Et sic avertit se a lege, et relinquit illam, quatenus bona et honesta; laborem tamen et molestiam, quæ ex ejus constrictione, et obligatione provenit, directe et per se vult evi-